Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25878
Copyright: Admont, Benediktinerstift



bitet. fiant filii eorum orphani. et uxor eorum uidua. Commotus amoueatur ipse atque eius filii et mendicent. et eiciantur de habitatione suis. scrutetur fenerator omnem substantiam eius. et diripiant alieni omnem laborem eius. orbis terrarum pugnet contra eum. et cuncta elementa sint ei contraria. et omnium sanctorum quiescentium merita illum confundant. et in hac uita super eum apertam uindictam ostendat. Obseruatores autem huius nostri decreti omnipotentis gratia protegat. et auctoritate beatorum apostolorum Petri et Pauli ab omnium peccatorum uinculis absoluat.

Sepi uero et ceteri ordines infra constituti qualiter ordinari debeant. ex auctoritate cartaginensis concilii. iiii. cui interfuit Augustinus tempore Honorii augusti. ostendamus ab eorum examinatione incipientes.

Qui episcopus ordinandus est. Quomodo examinandus sit qui in episcopum eligitur.

I. e. d. xxx. viii. Omis.

antea examinetur. si natura sit prudens. si docibilis. si moribus temperatus. si uita castus. si sobrius. si peruigil. si semper sui negocii cauens. si humilis. si affabilis. si misericors. si litteratus. si in lege domini instructus. si in scripturarum sensibus cautus. si indogmatibus ecclesiasticis exercitatus. et ante omnia si fidei documenta uerbis simplicibus asserat. idest patrem et filium et spiritum sanctum unum deum esse confirmans. totamque trinitatis deitatem. coessentialem et consubstantialem. et coeternalem. et eo omnipotentem predicans. si singulas quasque in trinitate personas plenum deum et totas tres personas unum deum. si incarnationem diuinam non in patre neque in spiritu sancto factam. sed in filio tantum credat. ut qui erat in diuinitate dei patris filius deus uerus ex patre esset. et homo uerus ex matre. carnem ex matris uisceribus habens et animam humanam racionabilem simul in eo utriusque nature. idem deus et homo. una persona unus filius unus christus. unus dominus creator omnium que sunt et auctor dominus et rector cum patre et spiritu sancto. omnium creaturarum qui passus sit uera carnis passione. mortuus uera carnis corporis sui morte. resurrexit uera carnis sue receptione. et uera anime resumptione. in qua ueniet iudicare uiuos et mortuos. Querendum est etiam ab eo si noui et ueteris testamenti. idest legis et prophetarum et apostolorum. unum eundemque credat auctorem deum. si diabolus non per conditionem sed per arbitrium sit factus malus. Querendum est etiam ab eo si credat huius quam gestamus carnis et non alterius resurrectionem. si credat iudicium futurum et recepturos singulos pro his que in hac carne gesserunt. uel penas. uel premia. si

uel acutus.

pro salute nostra